Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

uestigiis uiri dei prouoluta est. deducens caballum uiri a uiro suo machinis diabolicis et nefandis raptum insidiis: forma ac specie decorum. quasi debito uiri sui mortis reum: insuper ducentos solidos uiro dei obtulit. dicens uirum suum eadem die percussum fuisse in quo ille cerebrosis machinis uiam uiri dei impedire presumpsit. Et ut ex eadem percussione languor quotidie dolori fomitem ministrasset. et ut iam a medicis desperatus sibi precepisset. ut sub omni diligencia ipsum custodiret caballum. et uiro dei si deo donante ibidem transitus fuisset omnino redderet. et eius facinus illi profiteretur: et insuper debite impensionis ei aurum offerret. ut pro eius anima uir sanctissimus deprecari diuinam clemenciam dignaretur. Quibus uerbis dictis compulsus eminentissimus rex et dolore ac tremore compunctus. statim ex throno prosiliens genibus prouoluitur episcopi. rogans ne hoc spernet quod mulier obtulit: et insuper suum equum reciperet quem amisit. Vir autem dei ne totam eminencie sue familiam contristaret. quam de morte tanti uiri flentem conspexerat: et in magna esse desperacione anime illius. uniuersis petentibus ad suscipienda que mulier obtulerat. Tandem coactus consensit. regem surgere precepit: leniterque eum consolari cepit. eumque rogauit: ne aliam quis pro ipso reatu ultionem reciperet. dicens quia non uindicat dominus bis in idipsum. Suisque illis orationibus ut ualeret ad uiuturum se professus est. fide recepta uiri dei uerbis: uiduata mulier recessit. Non longe post pontifex cum summo ibi detentus honore et reuerencia non modicis ditatus muneribus a rege uale factus dimissus est. et cum omni necessitatis ordinacione et gubernacione ad tridentinos peruenit fines. Cum autem non longe a castro uenisset in prata que appellabitur cumaniana: quidam ex comitibus suis emissarium quem ibi uiro dei fraudulenti consilio ipsius principis: qui tunc ibi erant iuniores furtim abstulerant: conspiciens quendam iumentum sequentem agnouit. ut uerto uacuato calcibus iumentorum macie magna indecorum. ita ut uix cognosceretur. uiro dei indicare curauit. Qui tum se dissimulans agnoscere. suis omnino inde silere precepit. Cum autem urbis portam appropinquaret. ecce iam antea predictus comes husingus. obuiam ei ueniens. pedibus illius prouoluitur. commissum a se facinus non abscondit: sed humiliter confitebatur dampnum quod ei fecerat de caballo: et ille tenebrose machinacionis furtum per ordinem professus est. qualiterque propter decoram nobilitatem eius suis iumentis adaggregacionem sibi immittere concupiscebat: et in postium conseruare. Asserens quod hoc facto diuina consecuta est illum inde uindicta. quia fere xliii de ipsis erant iumentis. que omnes elefantino morbo perierunt: excepta una superstite quam tunc sequebatur. Qui prefatus comes dum hec confiteretur. duos quos optimos habuit uiro dei optulit: et insuper ducentos solidos auri humili uoto deposcens: ut uir dei pro emendacione delicti quod ei ingesserat. accipere non sperneret. et sibi delictum dimittere cum summa humilitate peciit. Quibus uerbis auditis uir dei irrisit. sed per satisfactionem illius indulgenciam illi dare dignatus est. Ille autem cum magno honore per ministeriales suos eum usque ad fines bauariorum fecerat pertransire. Qui dum maiense castrum intrasset. appositis captus custodibus: sicut longe superius diximus a grimoaldo duce preceptum esse. non ulterius eum abire sinebant. non ad eorum